

Descriptum. - 55. - 19. februarii.

Deputationi Ministeriali ad binas eiusdem transmissas intimationes respondetur circa militarium excessus, comitis Marsigli sicariam aggressionem, commercium, praedones, computus, instantiam comitatus Neogradiensis et civitatis Agriensis, item Cassoviensis.

Februar. 1699.

Originales in archivo Regni Hungariae, Budapestini, sub signatura: Conc. Exp. N. 55. ex februario 1699.

6.

1699. febbraio 27. Vienna.

*Cancellaria regia hungarico-aulica ad consilium aulae bellicum in facto inquisitionis contra latrones, qui comitem Ludovicum Ferdinandum Marsili modo sicario aggressi sunt, per comitatum Pestiensem instituendae.*

Sacratissimae caesareae regiaeque maiestatis excelso consilio aulae bellico ad eiusdem sub dato diei 18. ad finem vergentis huius mensis februarii, circa efficax remedium contra diversa praedonia et latrocinia in regno Hungariae grassari coepta ponendum inquisitionemque adversus illos qui dominum colonellum Ludovicum Ferdinandum comitem Marsiglio haud ita pridem modo sicario aggressi non tantum spoliarunt, verum etiam graviter vulnerarunt, peragendam et comprehensionem illorum atque manifestationem procurandam ad cancellariam hanc regio-Hungaricam aulicam datam intimationem hisce officiose reintimandum. In negotio quidem atrocem illum praefati domini colonelli Marsigli casum tangente, habito iam prius ab excelsa deputatione ministeriali ad praenotatam excelsi huius consilii bellici intimationem per omnia conformi decreto, necessaria mandata expedita et ad comitatum ubi praeinsinuata aggressio et spolium accidit eidemque viciniore transmissa fuisse; quo ad praedones vero in communi eliminandos pariter seria mandata regia ad universos regni comitatus actu expediri: quia tamen persecutionem huiusmodi praedonum non levem difficultatem passuram vel ex eo cancellaria haec collimaret, quod rustici qui huiusmodi persecutionem et participationem praedonum secundare deberent, iuxta ordines anno praeterito datos, disarmati et universis armis privati ad hocce pro communi quiete, tranquillate et securitate publica procuranda eliminandorum praedonum opus debite concurrere nequirent; ideo etiam quid hoc in passu deliberandum simul et statuendum erit, ab excelsio hocce consilio aulico bellico eadem cancellaria Hungarica praesto-